



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eusebiu Tu Pamphilu Ekklesiastikē Istoría

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

Henrici Valesii Epistola Ad Amicvm de Anastasi & Martyrio
Hierosolymitano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14478

num ac Licinium vehementius exarsit. Quam oportunitatem nacti Donatistæ, dum religiosissimus Princeps bellicis negotiis distineretur, interim ipsi gravissimos tumultus per Africam concitarunt. Victo demum Licinio, Constantinus qui universo orbi Romano firmissimam pacem præstiterat, ut eam quoque restitueret Ecclesiæ laboravit. Totus igitur in eam cogitationem incumbens, ad sedandum morbum pestiferæ dissensionis quo Africana jam diu laborabat Ecclesia, unum hoc remedium reperit; ut quandoquidem Occidentales Episcopi duobus Conciliis jam congregatis nihil profecerant, Orientales in Africam mitteret, qui rem ab aliis frustra tentatam tandem aliquando perficerent. Sic enim existimabat Princeps Dei amantissimus, cum religio ac fides Christi ab Orientis primis partibus in reliquis regiones diffusa sit, inde quoque esse expetenda salutis pacisque documenta. Verum dum hæc animo designat, nuntius repente ad eum perlatus est de discidio longe gravissimo Ecclesiarum Ægypti. Namque Arius Alexandrinæ urbis presbyter, nova quædam dogmata de Filio Dei spargere aggressus, plurimos non ex plebe solum, sed etiam clericos eius civitatis, in suas partes traxerat. Ortaque semel dissensio, non jam intra urbis Alexandria terminos subsistebat; sed ulterius progressa, atque in dies latius serpens, universam Ægyptum multasque Orientis provincias pervaserat; aliis Arii; aliis Alexandri sententiam pertinaciter defendentibus. Hic nuntius Constantinum acerbissimo dolore percudit, eiusque animum Africanis tum maxime intentum negotiis

aliud traduxit. Videbat quippe religiosissimus Princeps, eos quorum operâ Africanæ Ecclesiæ malis mederi se posse speraverat, ipsos medico & curatione indigere, quemadmodum ipse scribit in Epistola ad Alexandrum & Arium. Protinus igitur in urbe Nicæa congregari Synodum jubet. Ex omnibus orbis Romani provinciis evocati cōveniunt Sacerdotes. Quos inter fuit Cæcilianus Carthaginensis Episcopus, ut præter subscriptiones Nicæni Concilii docet Athanasius in oratione prima contra Arianos. Ex Donatistis verò nec Episcopus ullus nec Presbyter, ei Synodo interfuisse memoratur. Quo maxime argumento perspicitur, Donatistas à communione Catholica profluisse alicenos fuisse, quippe qui nec generali Synodo interfuerint, nec ullam cum iis qui interfuerant, communionis societatem habuerint. Atque hic finem faciemus historiz Donatistarum; tum quia ultra Eusebianæ historiz terminos nequaquam progredi decrevimus; tum quod reliqua deinceps factis plana sunt atque expedita. Id unum monuisse non pigebit; hoc schisma diutissime in Africa perseverasse. Nam Pontificatu Gregorii Magni, id est, annis fere trecentis ab ordinatione Majorini, Donatistarum schisma per Africam adhuc viguit, ut docet Gregorius in libro 1. Epistola 75. ad Episcopos Numidia, & in Epistola 33. lib. 2. & in lib. 3. Epistola 32. & 35. & in lib. 5. Epistola 36. & 61. Adeo tenax est erroris sui schisma; nec facile ad pacem & unitatem Ecclesiæ revertuntur, qui se ab eâ temere abruperunt.

HENRICI VALESII EPISTOLA AD AMICVM de Anastasi & Martyrio Hierosolymitano.

Queris à me quid sentiam, tum de nummo Paschalini in quo ANACTACIC nomen inscriptum est; tum de loco sancti Hieronymi in Epistola ad Pammachium, ubi dicit: *Cum de Anastasi pergeris ad Crucem, &c.* In quorum interpretatione cum Jacobum Sirmondum & Joannem Tristandum dissentire videas, meam de hac questione sententiam requirendam putasti. Ego verò, etsi mecum non est, inter tantos viros quorum uterque singulari mecum amicitia conjunctus est, arbitrum agere; dicam tamen absque præiudicio, & cum utriusque venia, quod ex accurata veterum Scriptorum lectione didici. Tui arbitrii erit, & aliorum in quorum manus hæc Epistola perveniet, an recte senserim pronuntiare.

Optime quidem, ut solet, Jacobus Sirmondus ANACTACIN in illo Paschalini nummo, templum esse docuit sepulchro Domini superstructum. Sed quod idem ait in Triplice nummo pag. 9. Constantinum Magnum diversis in locis duas Basilicas crexisse, unam in loco Passionis, quæ Martyrium & Crux dicta est; alteram in loco Resurrectionis, quæ Anastasi & Dominicum dicebatur; tametsi apud me plurimum valet eius auctoritas, in hoc tamen ei assentiri non possum. Unicam enim Basilicam Constantino Magno Hierosolymis ædifica-

tam esse prodit Eusebius, tum in Oratione de laudibus Constantini, pag. 466. tum in lib. 3. & 4. de eius vita. Cui consensit auctor Itinerarij Hierosolymitani, qui iisdem ferè temporibus scripsit quibus Eusebius. Nam Dalmatii & Zenophili Consulatum commemorat, quem certum est in extrema Constantini tempora incidisse. Accedit Eucherius in libello de situ urbis Hierosolymitanæ, quem Jacobo Sirmondo debemus, & Antoninus Martyr in Itinerario. Quibus etiam adjungi potest testimonium Socratis in lib. 1. cap. 13. Sozomeni & aliorum quorum infra mentionem faciam. Hi omnes unam duntaxat Basilicam à Constantino Maximo Hierosolymis exstructam esse consentiunt. Quæ quidem & Martyrium dicta est, teste Eucherio. Certè Eusebius eam disertè *μαρτυριον* appellat, tum in lib. 3. de vita Constantini cap. 29. tum in lib. 4. c. 40. 43. & 45. Sozomenus quoque eandem Basilicam *πρὸς τὴν μαρτυριον* dictam esse testatur. Ad cujus consecrationem iussu Imperatoris Constantini cōvenerunt Episcopi qui in urbe Tyro congregati erant, Consulatu Constantii & Albini. Postremò in Epistola Episcoporum qui Hierosolymis ad dedicationem illius Basilicæ conveniunt, quam refert Athanasius in Apologia ad Constantium pag. 801. *εὐαγγέλιον μαρτυριον* vocatur.

Cæterum aniam erroris Sirmondo præbuisse videtur.

videtur corruptus Eucherii locus. Sic enim ab illo est editus in Triplice nummo pag. 8. *Primum de locis sanctis pro condicione platearum, divertendum est ad Basilicam qua Martyrium appellatur, à Constantino magno culus exstructa. Dehinc coherentia ab occasu infanti (forte visuntur) Golgotha & Anastasi. Sed Anastasi in loco est resurrectionis, Golgotha verò medius in Anastasi. At martyrium locus est Dominica Passionis, in quo etiam rupes apparet, qua quondam affixo Domini corpore crucem perculit. At quis non videt scribendum esse, Golgotha verò medius inter Anastasiam ac Martyrium locus est Dominica Passionis, in quo etiam rupes apparet, &c.* Hoc enim tum ex Eucherii superioribus verbis, tum ex Antonini Martyris Itinerario planè convincitur. Ad eò ut in hujus emendationis confirmatione immorari, nihil aliud sit quàm tempus terere.

Quid igitur, inquit, si una duntaxat fuit Basilica, quomodo intelligi potest quod dicit Hieronymus in Epistola ad Pammachium? *Cum de Anastasi pergeretis ad Crucem.* Idem prorsus est ac si dixisset. Cum de monumento pergeretis ad Golgotha; in quo erat rupes Crucis. De qua præter Eucherium loquitur idem Hieronymus in Epistola ad Paulinum de institutione Monachi. Certè Hieronymus paulò antè, sepulchrum Domini appellaverat, quam hinc Anastasim dicit. Sic enim ait: *Nomine autè sepulchrum Domini misso Archidiacono præcepisti, ut talia disputans conticesceret.* Sed & idem Hieronymus in Commentariis in caput primum Sophoniæ, Anastasim pro sepulchro Domini posuit: *Congregatur turba miserarum; & patibulo Domini corruscante, ac radiante Anastasi ejus; de Olivæ quoque monte crucis fulgente vexillo, &c.* Et in Epist. 46. ad Rusticum. *Ista prote in locis venerabilibus Resurrectionis & Crucis, &c.* Gregorius quoque Nyssenus in Epist. ad Eustathiam & Ambrosiam, disertè vocat *ἀνάστασιν* locum in quo sepultus est Dominus, & Sophronius in præto spiritali cap. 91. & 105. Scio quidem Jacobum Gretserum perindè interpretatum esse locum illum B. Hieronymi. Sic enim scribit in l. 1. de cruce c. 65. *cum de Anastasi pergeretis ad Crucem: hoc est, de templo Resurrectionis ad templum Crucis.* Et in c. 80. ejusdem libri Ecclesiam Dominicæ Crucis facram à Constantino Hierosolymis extructà esse colligit ex prava versione Eusebiani panegyrici. Sed hic error communis est illi cum Sirmondo.

Ceterùm et si Eucherius Anastasim distinguat à Basilica Constantiniana, ea tamen Basilica etiam Anastasi dici potest. Nam Eusebius in libro 3. de vita Constantini cap. 29. eam disertis verbis *μαρτύριον τῆς ἀναστάσεως* appellat; atque in honorem Resurrectionis Dominicæ in ipso Resurrectionis loco conditam fuisse testatur. Sic enim habet in scriptio capitis 24. lib. 3. *Ὁ παῖς ἐν Ἱεροσολύμοις ὅτι παρὰ τὴν τὸ πρῶτον τῆς τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀναστάσεως; ναὸν προσευκτικὸν οἰκοδομήσας προσήταξεν.* Certè Ecclesia sanctæ Resurrectionis nominatur à Cyrillo Hierosolymitano in Catechesi 14. pag. 338. & à Justiniano in Novella 40. & à Wilhelmo Tyrio in libro 1. Historiæ Hierosolymitanæ cap. 4. & 5. & alibi passim. Sed verba hujus Scriptoris ex cap. 4. libri primi operæ pretium fuerit hic adscribere: *Ecclesiam Dominicæ Resurrectionis, qua per venerabilem virum Maximum (Macarium voluit dicere) ejusdem loci*

Episcopum, præcipiente Domino Constantino Augusto edificata fuerat, postea per reverendissimum Modestum tempore Domini Heraclii reparata, funditus de juri mandavit. Hinc in Synodo C. P. sub Mena, Sabinus Diaconus Anastasi dicitur; & apud Joannem Moschum cap. 48. & 49. Anastasius quidam presbyter & Scevophylax sanctæ Resurrectionis nominatur, id est, Basilicæ totius, quæ & monumentum Domini continebat, utpote totius operis apicem, καὶ φάλλω παύτως, ut loquitur Eusebius.

Interdum tamen Anastasi stricte sumitur, & separatur à Martyrio seu Basilica Constantini; ac pro sepulchro Domini, seu potius pro ædícula sepulchro superstructâ ponitur, ut videre est apud Hieronymum & Eucherium. Hanc distinctionem non intellexit Gretserus qui in lib. 1. de cruce cap. 65. acriter reprehendit Bedam, quòd Anastasim à Martyrio distinxerit. Atqui Beda seu Adamannus, bonum in primis auctorem Eucherium secutus est; cujus verba perperam interpollavit. Sed & Marcus in vita Porphyrii Gazensis Episcopi cap. 4. Anastasim à Martyrio aperte distinguit: *Anastasi, ait Eucherius, in loco est Resurrectionis.* Non dixit, *locus est Resurrectionis*, quemadmodum de Golgotha dicit, *est locus passionis*; sed ait, *in loco est Resurrectionis.* Ædícula ergo ibidem fuisse innuit arcuato opere structâ, & columnis marmoreis sustentam, ut testatur Eusebius. Erat porò hæc ædícula conjuncta Basilicæ, nam ab Anastasi ad Basilicam seu Martyrium, ingentes erant porticus; atque in medio campestris planities, ut scribit Eusebius, qui & Basilicam ab ortu sancti Sepulchri fuisse testatur, quod planè confirmat Eucherius.

Ex his perspicere licet, immeritò reprehensum esse à Joanne Tristano Jacobum Sirmondum. Neque enim in eo lapsus est Sirmondus, quòd Basilicam in loco Resurrectionis Domini à Constantino superstructam esse dixerit; quippe cum idem dicant Eusebius ac Socrates, & auctor Itinerarii Hierosolymitani. Sed in eo lapsus est Sirmondus, quòd duas Basilicas à Constantino Hierosolymis extructas esse credidit. Unam enim duntaxat Basilicam in urbe Hierosolymitanâ ab illo conditam fuisse prodit Eusebius, Socrates, Theodorus, Sozomenus, Eucherius, Antoninus, Wilhelmus Tyrius, & antè eos auctor Itinerarii Hierosolymitani. Sed illam alii in loco Resurrectionis, alii in passionis loco constructam esse dixerunt. Et Eusebius quidem ac Socrates & auctor Itinerarii in loco ipso monumenti conditam fuisse testantur. Sozomenus verò in lib. 2. circa locum Calvariæ, sive in Golgothâ. Rufinus quoque in lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, & Paulinus in Epistola 11. in loco Passionis extructam esse dicunt. At Nicephorus in lib. 8. historiæ Ecclesiasticæ cap. 30. utroque in loco hanc Basilicam conditam esse dixit. Quinetiam Eusebius hac in parte variasseprehenditur. Cum enim in libris de vita Constantini, ut superius ostendimus, illustrem hanc Basilicam in loco Dominicæ Resurrectionis extructam esse affirmet, in Oratione tamen de laudibus Constantini pag. 466. de eadem loquens Basilicâ, in honorem S. Crucis à Constantino Maximo eam extructam esse asserit, juxta ipsum Passionis Dominicæ locum: *τὰ δὲ ὄντ' ἡ παλαιστὶνὸν ἱερόν τῆς ἱερῶν βασιλ. καὶ ἱερίως ἐκ μίσθων κατ' αὐτὸ δὴ τὸ σω-*

τῆσιν μαρτύροις, οἰκόν ἐκ τῆσιν παρὰ μὲν Ἰθν, νεώτερον δὲ
 310, &c. Quæ quidem verba Interpretis sic Latine
 vertit, quasi Constantinus duas in ea civitate Eccle-
 sias ædificasset; cum tamen constet vel ex sequenti-
 bus Eusebii verbis, unicam fuisse. Sic igitur verten-
 dus est hic locus: *In Provincia autem Palestina apud
 civitatem que Hebræorum regia quondam fuit sedes, in
 ipso urbis mediotullo ad locum Dominice passionis, æ-
 dem sacræ immense amplitudinis & sanctuarium in
 honorem S. Crucis, omni magnificentia genere exorna-
 vit. Quinetiam Monumentum Servatoris sempiterna
 memoria dignum, illiusque tropæa contra mortem ere-
 ctæ, ornamenti que dicendo exprimi nequeunt, decoravit.*
 In his Eusebii verbis, τὸ σὸν τῆσιν μαρτύροις. *Passionis
 Dominice locum interpretatus sum; tametsi in Epi-
 rola Patrum Concilii Hierosolymitani pro ipso tē-
 plo sumatur, ut supra ostensum est. Quod quidem
 neminem turbare debet. Sic enim Anastasin, tam
 prò monumento ipso, quam prò ædificia promiscuè
 usurpari docuimus. Porro hæc varietas ac dissen-
 sio, ut locorum vicinitate orta est; cum Golgotha à Mo-
 numento octoginta tantum passibus distet, ut scribit
 Antoninus. Hinc etiam est, quod hæc Basilica modò
 Anastasis appellatur, ut ex Eusebio, Cyrillo, Ju-
 stiniano, Joanne Moscho & Wilhelmo Tyrio supra
 ostendimus; modò Ecclesia sanctæ Crucis. Sic enim
 appellat auctor Chronici Alexandrini in dictione se-
 ptima: ἐπὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως Παυλίνου τῶν τοῖς ὑπάρτοις λέγειν
 τὰ ἐγκαινία τῆς ἐκκλησίας τῆς ἁγίας αὐτοῦ. τῆς οὐκ ὀνομα-
 ζούσης, &c. Id est: *his Coss. facta est dedicatio Ecclesie
 sanctæ Crucis, quam Constantinus Magnus ædificaverat
 temporibus Macarii Episcopi Hierosolymitani, die 17.
 mensis Septembris.* Fallitur tamen, ut obiter dicam,
 auctor hujus Chronici. Non enim Consulatu O-
 ptati & Paulini, sed anno sequente hæc Basilica de-
 dicata est, Constantio & Albino Coss. anno Christi
 335. præsentibus Episcopis qui iussu Imp. Constan-
 tini in urbe Hierosolymitana convenerant post Syno-
 dum Tyri habitam. Habita autem est Synodus in
 urbe Tyro, iis quos dixi, Coss. ut Athanasius in A-
 pologia testatur ex ipsius Synodi gestis. Pro 17. die
 mensis Septembris, apud Nicephorum dies 13. poni-
 nitur. Tametsi Interpretis Latinus decimum quartum*

A restituit, quo die Exaltationem S. Crucis Occidentaria
 Ecclesia celebrat. Sed vulgata lectio in Nicephoro
 retinenda est, & in Alexandrino Chronico retinenda.
 Nam encanias Ecclesie sanctæ Resurrectionis, die Sept.
 quotannis celebrabantur, ut legitur in Mo-
 nologio Græcorum, & in typico S. Sabæ 13. die Se-
 ptembris τὰ ἐγκαινία τῆς ἁγίας ἁγίας αὐτοῦ. Id
 scribit Sophronius in oratione de Exaltatione S. Cru-
 cis. Ubi etiam notabis Anastasin vocari, quæ in Chro-
 nico Alexandrino Ecclesie S. Crucis appellatur. De
 hoc festo Sozomenus in lib. 2. c. 25. Illustris est locus
 ex homilia 14. Cyrilli Hierosolymitani, qui nostram
 sententiam eximie confirmat. Explicans enim hæc
 verba Sophronii: *Propterea expellam te dicit Dominus,
 in diem Resurrectionis meæ, in testimonium,* subiungit
 hæc verba: *βλέπετε ὅτι ἐγὼ τὸ σὸν τῆς ἀναστάσεως ἁγίας
 αὐτοῦ ὁ προσφώνησεν μαρτύροις ἐπικληθῆσθαι ἡμῶν. τῶν ἁγίων
 λόγων μὴ κατὰ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας, ὅτι τὸ ἐγκαινία τῆς
 ἀναστάσεως ἁγίας ὁ τόπος ἐκκλησίας καλεῖται, ἀλλὰ ἐγὼ μαρ-
 τύροις; Id est: *Vides quod & locum Resurrectionis præ-
 vidi Prophetam Martyriū vocandum. Quare enim non
 juxta reliquas Ecclesias hic Golgotha & Resurrectionis
 locum, Ecclesia vocatur, sed Martyrium? Vides unquam
 Basilicam à Cyrillo Hierosolymitano agnosci, quæ
 & Martyrium dicta sit Non igitur duas fuerunt Basi-
 lica, ut credidit Jacobus Simonius & Gretserus;
 altera in loco Passionis, altera in Resurrectionis lo-
 co constructa. Potior apud me est Cyrilli Hierosoly-
 morū Episcopi auctoritas, qui unam duntaxat Eccle-
 sian, tam in Resurrectionis quam in Passionis Do-
 minicæ loco sub Martyrii nomine condita fuisse tes-
 tatur. Quod si Cyrilli testimonium non sufficit, al-
 terum adjungam Basilii Seleucensis ex orac. 38. con-
 tra Judæos: *ἐκεῖ γὰρ ἔκρυψε κατὰ ξίφος αὐτοῦ σαρκοδύτου
 ἡ ταφὴ καὶ ἀνάστασις τοῦ καλεσμένου Γολγοθᾶ. ἐκεῖ γὰρ
 ἁγία ἔθνη καθύπερθε ἐκκλησία. ἰπώνυμος τὰς σαρκο-
 δύτας ἔκρυψε πᾶσι φέρουσα μίσητον, τὴν σαρκοδύτου
 τῆς ἀναστάσεως. Habes meam de Anastasi & de loco
 S. Hieronymi sententiam. Quam quidem non re-
 fellendi cujusquæ (id enim alienum est à nobis) sed
 inquirendæ & aperierendæ veritatis studio propolui.
 Vale. Lutetiæ Parisiorum Idibus Decembris, anno
 1650.***

HENRICI VALESII EPISTOLA
 AD JACOBUM USSERIUM ARMACHANUM,

De versione septuaginta Interpretum,

DOCTISSIMO VIRO IAC. USSERIO ARMACHANO
 Henricus Valesius salutem.

ET si Syntagma tuum de 70. Interpretum versio-
 Enc, quod ad me misisti, nondum acceperim;
 quod factum est ejus culpa, cui illud ad me per-
 ferendum tradidisti; tamen cum intelligerem ali-
 quot ejus exemplaria in hac urbe reperiri, victus
 legendi cupiditate, unum ab amico commodatum
 accepi, statimque mihi perlegendum curavi.
 Nolo hic tibi laudes tuas ingerere. Neque enim
 id modestia tua, nec amicitia nostra patitur. Di-

cam potius ingenuè quod censeo. In plerisque
 quidem quæ illic à te scripta sunt, assentior tibi;
 tuamque eximiam eruditionem & acumen ingenii
 magnopere demiror. Sunt tamen nonnulla, in
 quibus abs te dissentire cogor invitus: quæ qui-
 dem brevi Epistola comprehensa ad te mitto; te-
 que ut eodem animo quo à me consecuta sunt, ea
 suscipere velis, etiam atque etiam rogo.
 Primum igitur in hoc abs te dissenso, quod feri-